

num in Sermones de lapsis, & alios; ex recentioribus Spanheimium
Introd. Histor. Eccles. N. T. Sec. VI p. m. III. § 112.

§. IX.

Sexto, a dissensu questionem affirmantium inter se. Neque enim illi, qui vigiliam carnisprivii per omnia ipsum Bacchi festum esse dicunt, inter se consentiunt; atque hinc nobis varia Ethnorum festa narrant, quæ omnia simul sumpta in hocce Festo Bacchi Ethnico ad Christianos translata esse volunt. Plerique & vigiliam carnisprivii unum idemque esse putant. Nonnulli appellant *Bacchanalia*, qui autumant eadem in proscenium Romanæ Ecclesiæ producta fuisse a Telesphoro anno Christi 141, eo fine, ut jejunium quadragesimale eo facilius populo imponeretur. Verum nihil hac de re tradit *Caranza*, utut jejunium quadragesimale a Telesphoro Clericis indictum commemoret in *Summ. Concil. pag. 13.* Neque etiam *Gratianus in Decretis Jur. Canon. Dist. IV. jam-jam cit.* Alii putant *Lupercalia* idem esse vocabulum, quod *Fast-nacht*. Propterea *Bapt. Mantuanus Lib. II. Fast. pag. 76. 77.* de ista hujus vigiliæ mala consuetudine sic canit:

Hic memorare libet quoddam grave temporis hujus
 Crimen, & ipsius subjungere criminis ortum.
 Roma Lupercales ludos antiquitus isto
 Mense celebrabat: posita gravitate per urbis
 Compita cursabant stolidi sine veste Luperci. &c.

De origine autem Lupercalium audiemus *Polyd. Verg. l. c. cap. XIV. Lib. II. p. 40.* *Lupercalia*, inquit, ludicra, quæ teste *Plutarcho* expiationis causa fiebant, *Lycaea* dicta a *Pane Lyceo*, numine *Arca-dico*, quem auctore *Livio* ab *U. C. Romani Inusum* vocabant, & idem putabatur esse *Faunus*, vel ut *Fenestella* tradit, *Sylvanus*. Sacrificabatur autem *Lyceo*, mense *Februario*, in hunc ferme modum: *Juvenes nudi Lycaum Pana venerantes per luxum atque lasciviam, currebant, ferentes scuticas ex caprinis pellibus factas.* Unde *Festus* tradit *Crepos*, id est, *Lupercos* à Romanis dictos, a crepitu pellicarum, quem faciebant verberantes. Mulieres

VI.

A dissensu
 questio-
 nem affir-
 mantium

Festum Bacchi inter se.

1. Baccha-
 nalia.

2. Luperc-
 calia.